



**R. P. Ferdinandi De Castro Palao, Legionensis Soc. Iesv,
Sacrae Theologiae Professoris, Et sanctae Inquisitionis
Qualificatoris & Consultoris; Operis Moralis, De Virtutibus,
Et Vitiis Contrariis, In ...**

Continet Tractatum Serie Vigessimvm-Octavvm De Matrimoniis, &
Sponsalibus, cum Indicibus necessariis

Castro Palao, Fernando de

Lugduni, 1669

Qualiter ob hæresim liceat Catholico coniugi diuertere. §. 8.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76659](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76659)

innocens volet sibi nocentem reconciliari, & ab eo debitu coningale, mutuaque habitationem exigere, tenetur nocens obedire.

Hæc autem obligatio, quæ coniux nocens arctatur non mutandi statum solum durat (vt dixi) dum reconciliationis subest spes, nam eâ deficiente liberum illi est statum religionis, vel Ordinem sacrum assumere, vt potè qui non præsumitur ab innocente repetendus, quod impedire poterat, vt optime notauit Coninch. dicta disputat. 3. s. dub. 5. concl. 4. numero 26. & supponunt Doctores omnes num. præced. relati. Vnde si vxor sententia lata à Iudice seculari de eius adulterio, vel illo notorio existente deturatur in monasterium penitentiam actura, si intra biennium illius reclusionis non illam repetat, vir poterit Religionem profiteri, ea enim repetitionis omissione censetur iure sic disponente consentire ingressui: habetur Authent. sed hoc e. Codic. Ad leg. Iul. de adulter. cuius decisio iure canonico reuocata non est, vt rectè aduertit Abbas, cap. gaudemus de diuortio. num. 7. Hostiensis ibi numero 3. Ioann. Andr. num. 3. Anchar. num. 2. Basil. Ponce, lib. 9. cap. 19. num. 3. Sabch. lib. 10. disp. 10. num. 8. Secundo si adulter emendatus sæpius reconciliationem petat, & innocens denegat. Poterit statum mutare; quia prædictâ denegatione tacet inquit nullo vnquam sibi nocentem reconciliare qua spe sublata iniuste, & irrationabiliter velle. vt nocens de statu suo semper suspensus existat, vt colligitur ex cap. gaudemus de diuortio. Et tradit Sanch. dicto num. 8. & 16. Basil. Ponce, num. 4. Coninch. disp. 3. s. dub. 5. num. 2. 6. Layman. lib. 5. sum. tract. 10. s. p. cap. 7. num. 12. Tertio si innocens sacris Ordinibus initiatus est, vel Religionem professus, liberum est nocenti statum Religionis eligere, quia repeti nequit ab innocente, vtpotè qui statum elegit vsui coniugali oppositum, sicuti docet Ioann. de Friburgo sum. consessor. lib. 4. tit. 22. quest. 14. Palacios in 4. disp. 3. s. quest. unica, dub. 2. Rosella verbo Diuortium, num. 11. Syuelt. ibi quest. 10. Sanch. lib. 10. disput. 10. num. 6. Basil. Ponce, dicto cap. 19. num. 2. Et licet Palacios idem esse existimet, si votum simplex castitatis emisit innocens, quia eo impeditur à petitorio. e debiti, & petenti iniquè nulla est obligatio reddendi in plurium sententia. At verius est ob prædictum votum ab innocente factum non excusari nocentem ab eius reconciliatione, eo quod per votum castitatis non cesset iuri iustitiæ, quod habet exigendi debitum ab al. o coniuge, neque in illius fauorem abstinere promissit à debiti petitione, sed tantum in honorem Dei. Atque ita tradit Sanch. dicta disp. 10. num. 6. Basil. Ponce, lib. 9. cap. 19. num. 2. tamen non satis consequenter, nam cum ipse lib. 10. cap. 3. censeat excusari coniugem à reddendo debito; quoties alter iniquè petit ob circumstantiam aliquam, quam ipse tollere non potest, consequenter affirmare debebat nocentem obligatum non esse reddere debitum coniugi innocenti petenti voto castitatis astricto, cum tamen dicto cap. 19. num. 2. contrarium asserat. Præterea votum castitatis est impediat eo ligatum debitum coniugale exigere, & alterum coniugem excuset ab obligatione reddendi casu quo petatur, at nullatenus impedit extra thorum mutua cohabitationem & obsequiorum communicationem. Ergo ad hanc obsequiorum communicationem, & mutua cohabitationem, optime poterit innocens voto castitatis astrictus coniugem nocentem repetere, & compellere.

3 Dixi teneri per se nocentem ad consortium innocentis redire, vt tacite indicarem per accidens excusari aliquando posse. Si enim vxor separata est à viro ob adulterium commissum, raro compelli potest ad eius consortium redire ob timorem, quem rationabiliter habere potest mortis sibi inferendæ, aut iniquæ tractationis, ingentisq; sæuitiæ, vt aduertit optime Gutierr. cap. 129. de mar. num. 14.

4 Ad extremum aduerto ingresso in religionem adultero illis in euentibus in quibus ingredi permittitur non esse obligatum innocentem ad ingressum, neque ad votum castitatis emittendum. Quinimo neque ingrediente innocente in religionem alitringitur nocens ad illum ingressum, vt benè aduertit Sotus in 4. d. 36. quest. unica a. ar. 5. ad 3. Layman. lib. 5. sum. tract. 10. s. p. cap. 7. num. 12. Sanch. lib. 10. disp. 10. concl. 4. num. 15. Coninch. disp. 3. s. dub. 5. initio concl. 1. Quia textus in cap. sane, cap. cum sis. cap. significauit de conuers. coniugator. exigentes inuicem coniugium ingressum intelliguntur; cum matrimoni iura integra, & ille facta sunt, secus vero quando ob diuortium sunt diminuta.

§. VIII.

Qualiter ob hæresim liceat Catholico coniugi diuertere?

- 1 Ob alias causas à carnali fornicatione licet diuortium.
2 Ob hæresim pertinacem licet fieri potest.
3 Separatus propria auctoritate Catholici ab Hæretico nequit sacris initiari, vel Religionem ingredi.
Ferd. de Castro, Sum. Mor. Part. V.

- 4 Aliqui censent hæreticum iudicio Ecclesie damnatum, & ab hæresi resipiscentem admittendum esse à Catholico coniuge.
5 Alij probabilius excusant Catholicum ab hac obligatione.
6 Hæreticus sic damnatus nullatenus potest iniure Catholico statum mutare.
7 Ex eo quod Catholicus hæretico copuletur, si copula imbeatur ante sententiam non obinde censendus est remittere ius diuertendi, secus si post sententiam.
8 In hoc crimine hæresis non datur compensatio sicut in adulterio.

Licitum esse ob alias causas à carnali fornicatione coniugem innocentem à suo consorte diuertere Catholica veritas est definita in Concil. Trident. sess. 24. can. 8. ibi Si quis dixerit Ecclesiam errare, cum ob multas causas separationem inter coniuges quoad thorum, seu quoad cohabitationem ad certum incertumve tempus fieri posse decernit; anathema sit: contlatque ex toto tit. de diuortio, & de conuersione coniugatorum. Neque huic veritati obstat, quod Christus Dominus Matth. 5. & 19. solum carnalem fornicationem assignauerit, vt possit coniux innocens ab altero tamen contra eius voluntatem separari, quia Christus Dominus loquutus est de causa perpetua separationis, & quæ per se contractui matrimonij obstat, & hæc sola est fornicatio carnalis, reliquæ autem causæ ex se perpetuam separationem non inferunt, sed solum dum causæ ipsæ persistunt. Neque matrimonij sunt propria, eique directe oppositæ, sed communes aliis societatibus, & confederationibus. Hoc supposito.

Inter causas, ob quas præter adulterium licitum est coniugi innocenti diuertere à nocente est hæresis non quæcunque, sed pertinax (qualis censenda est, quæ post vnam, & secundam correctionem persistit, iuxta illud Pauli ad Tit. 3. Hæreticum hominem post vnam, & secundam correctionem deuota sicut colligitur ex cap. non solum. Et cap. idololatria. 28. quest. 1. Et cap. fin. de conuers. coniugar. Capit. quanto de diuortio. Ratio huius conclusionis est, quia plerumque ex cohabitatione cum hæretico pertinaci imminet periculum coniugi Catholico, cuiusque proli: ob quam rationem, etsi de facto in aliquo casu hoc periculum esset, non obinde impeditur Catholicus à diuortio celebrando, quia fat est quod hoc periculum vt in plurimum adit, vt rectè notauit Coninch. disput. 3. s. dub. 4. num. 24. Sanch. lib. 10. disput. 15. num. 9. Paul. Layman. lib. 5. tract. 10. s. p. cap. 7. num. 16. Quando verò periculum peruersionis agnosceretur non solum potest Catholicus, sed etiam debet se ab hæretico separare, quia periculum peccati iure nature quilibet vitare tenetur, sicuti docuit Sanch. aliis relatis dicta disput. 15. num. 5. Layman. dicta cap. 7. num. 16. Basil. Ponce lib. 9. cap. 22. num. 2. Crederem tamen hoc esse intelligendum, quando coniux hæreticus Catholicum iuteretur peruertere, grauisimumque esset periculum assentiendi iuxta textum in c. 2. de diuortio; alias non videretur obligatus Catholicus diuortium facere. Quippè nemo tenetur communia pericula peccandi cum graui sui detrimento fugere, vt constat ex his quæ latè diximus tract. 6. de chorit. disp. vlt. de scandalo. At negari non potest Catholico graue esse se à coniuge separare, eius cohabitatione, & obsequio carere, & cœlibem esse. Adde ex tali separatione sæpe imminere coniugi incontinentiæ periculum. Quomodo ergo obligandus est fugere periculum peruersionis non grauius vitgens, si ex eius fuga incidat in periculum graue incontinentiæ?

Separatus verò propria auctoritate coniux Catholicus nequit sacris initiari, nec validè Religionem ingredi, quia cedit in præiudicium coniugis hæretici, qui conuersus sic initiatur, vel professus repetere potest, neque ipse Catholicus se tueri potest hæresim, notoria ab altero coniuge commissam, quia hæc seclusâ Ecclesie declaratione non præbet causam perpetui diuortij, sed temporalis; nempe dum ipsa persistit, quate hæresi cessante cessat causa diuortij, & obligatur hæretico penitenti, reconciliari, in quo maxime differt ab adulterio carnali: hoc enim vpotè matrimonio directè oppositum semel commissum perpetui diuortij causam præbet; secus verò adulterium spirituale, quod est hæresis: requirit namque permanentiam, sicuti aduertunt Sanch. lib. 10. disp. 15. num. 10. & seqq. Basil. Ponce, lib. 9. cap. 22. num. 2. Paul. Layman. libro 5. sum. tract. 10. s. p. cap. 7. numero 16. Coninch. disp. 3. s. dub. 4. num. 24.

Quare controversia inter Doctores est, An hæreticum iudicio Ecclesie declaratum, & ab hæresi resipiscentem teneatur Catholicus ad sui consortium admittere? Et quidem plerumque consultius videretur eam præstare reconciliationem, quia Christianam pietatem commendat. Tum quia non leuiter iuuabit hæreticum penitentiam ad perseverandum in fide, ad vitandum incontinentiæ periculum, nihilque tristitiæ & desperationis. Quinimo Gotfred. sum. tit. de conuers. infidelium. m. 4. credit hanc lubellè Catholico obligationem, quia esto in capite de illa de diuortio excimatur ab hac obligatione, at prædicta concessio videtur reuocata per Textum in capite

quanto de diuortio, ubi vir Catholicus compellitur admittere coniugem ab hæresi respicientem. Cui doctrina assentitur Henrici, lib. 11. de matr. c. 17. n. 6. ea moderatione adhibita, si intra biennium signa dederit perfectæ emendationis. Glossa verò in cap. de illa de diuortio in fine. Et cap. quanto eodem tit. in fine. Et c. fin. verbo iudicio. Ioann. Andreas in dicto c. quanto. Et c. de illa. Abulen. in c. 19. Matth. q. 76. in corp. vers. dicendum. Iulius Clarus, lib. 5. receptar. §. hæresis. num. 1. 5. Sotus in 4. dist. 39. q. unica art. 4. ad 3. Ludouic. Lopez 2. p. instruct. c. 53. §. licet. Et c. 5. 4. vers. norandum est. Palaçios in 4. dist. 35. disp. vn. post medium. Sordus de aliment. tit. 7. q. 2. 1. num. 7. Et alij plures relati à Sanch. disp. 15. n. 18. asserunt Catholicum subesse obligationem recipiendi hæreticum iudicio Ecclesiæ damnatum respicientem si vellet in sæculo manere, neque excusari posse ab hac obligatione nisi Religionis ingressu, eo quòd in c. fin. de conuers. coniugat. (cui decisioni standum est) videatur concessa facultas non recipiendi hæreticum penitentem sub prædicta conditione Religionis, inquit enim Textus: *Mulier quæ in fide remansit potest nolente viro, qui ab infidelitate reuertitur, propter quam ab eo fuerat iudicio Ecclesiæ separata ad religionem liberè conuolare.*

5 Sed rectius eximunt Catholicum à prædicta obligatione recipiendi hæreticum damnatum Conarua. in 4. decret. 2. p. c. 7. §. 5. n. 5. Castro lib. 2. de iusta hæretic. punit. c. 7. Matien. lib. 7. recopil. tit. 1. Rub. gloss. 1. num. 80. Barbosa Rub. 2. p. num. 20. ff. soluto matr. Graffis 1. p. decis. lib. 2. c. 84. n. 16. Et 2. p. lib. 1. c. 12. n. 22. Et alijs relatis Sanch. lib. 10. disp. 15. n. 19. Conine. disp. 35. dub. 4. n. 24. Paul. Layman. lib. 5. sum. tract. 10. 3. p. c. 7. num. 16. Basil. Ponce, lib. 9. c. 22. num. 3. Gaspar Hurtado disp. 11. diffinit. 5. n. 20. & alij. Mouentur hac efficaci ratione; Ecclesia in pœnam hæresis priuat hæreticum iure; quod in suum coniugem habebat exigendi coniugale debitum, mutamque cohabitationem, sicuti priuat alios bonis, & iuribus quæ sitis, & Catholicum coniugem eximit à prædicta obligatione, vt constat ex cap. de illa de diuortio, ubi inquit Textus: *De illa, quæ à viro suo habente in hæresim ipsius consortium sine iudicio Ecclesiæ declinauit, videtur nobis quod mulier ei, cum reuersus fuerit, est reddenda, quæ est reuerti noluerit compellatur.* Si verò iudicio Ecclesiæ ab eo recessit ad recipiendum cum nullatenus dicimus compellendam. Neque contrarium deciditur in cap. quanto de diuortio, ubi mulier compellitur ad virum hæreticum penitentem redire, quia id factum est, eo quòd proprio iudicio, & non Ecclesiæ iudicio ab illius consortio se separauerit. Et licet in c. fin. de conuers. coniugat. concedatur mulieri, quæ in fide remansit; vt nolente viro ab infidelitate reuerso, propter quam iudicio Ecclesiæ ab eo fuerat separata possit liberè ad religionem conuolare, nullo modo ad huiusmodi ingressum, ardeatur, sed eo ingressu liberè concessio declaratur plena exemptio, quam dicta mulier Catholica habebat à murna cum viro habitatione. Censetur autem Catholicus iudicio Ecclesiæ ab hæretico separari, eo ipso quo hæreticus vt talis iudicio Ecclesiæ declaratur, quantumvis priuatum, & in secreto ab Inquisitoribus hoc iudicium fiat, vt rectè aduertit Sanch. dicta disp. 15. n. 20. quia est pœna, quæ delicti declarationem sequitur.

Quocirca coniux Catholicus inuito hæretico damnato potest, & in sæculo manere, & ad Religionem transire, vel sacros Ordines suscipere, sicuti potest diuortio facto ob adulterium carnale, quia æquæ sententia hæresis lata eximitur à coniugali debito. ac exemptus est adulterio declarato. Atque ita docet Barbosa Rub. 2. p. n. 20. ff. soluto matrim. Sanch. d. disp. 15. n. 21. Basil. Ponce, lib. 9. cap. 22. n. 3.

6 Hæreticus verò sic damnatus, & ab hæresi reuersus nullatenus potest inuito Catholicum statum mutare, sed potius tenetur ad Catholici consortium redire, si ipse velit, quia illa fuit pœna ob hæresim imposita, quæ non debet in detrimentum innocentis cedere. Quare esse probabile sit sententia diuortij lata ob adulterium, quam innocens acceptat, nocentem obligatum non esse ad consortium innocentis redire; in præsentem autem nullo modo id probabile censendum est, quia separatio ex adulterio integrè fit in fauorem innocentis, & ob iniuriam ipsi factam: at separatio ex hæresi præcipuè fit ob iniuriam fidei, & Religionis factam, & in eius satisfactionem, neque acceptatione innocentis indiget; ac proinde non liberatur hæreticus à seruitute coniugali prædicta condemnatione facta sicuti aduertit Syluest. verbo diuortium. q. 10. Sotus in 4. dist. 39. q. unica art. 4. ad 3. Barbosa Rub. 2. p. n. 22. ff. soluto matrimonio. Sanch. alijs relatis dicta disp. 15. n. 24. Basil. Ponce, lib. 9. cap. 22. num. 4.

7 Ex eo autem quod Catholicus hæretico copuletur, si copula ante sententiam hæresis habeatur, non obinde censendus est remittere ius diuertendi, quia nequit remittere ius diuertendi, quod ex hæresi perseverantia nascitur. Ex hæresi autem præterita, neque ab Ecclesia damnata nullum ius diuertendi habet, quod possit remittere. At si copula post sententiam habeatur, quo cala haberi diuertendi, & sic subest eius condonacioni Thom. Sanch. lib. 10. disp. 15. n. 26. distinguit, si cum habetur copula animus adost condonandi manifestum

est remittere ius diuertendi per sententiam acquiescentem, ac proinde ea remissione facta iam licitum non esse diuertere. Si verò expressus animus adesset non condonandi, nulla censeri debet remissio, siquidem hæc absque voluntate esse non potest. Quod si neuter animus expressè adesset nec condonandis nec non condonandi, et si in diuortio ob adulterium carnale censenda sit facta remissio, secus verò in diuortio ob adulterium spirituale. Quippe diuortium ob adulterium carnale ideò fit, quia caro coniugis in alienam diuiditur, quæ diuisio noua copula coniugis redintegratur. At diuortium ob adulterium spirituale, scilicet hæresim non fit, quia caro coniugis in alienam diuiditur, sed quia Deo, cuiusque fidei, & religioni irrogatur iniuria, quæ non videtur ob copula cessare. Sed dupliciter hoc vltimum dictum Sanch. ideòque exultimo habitum copula post sententiam remissionem iuris devertendi necessario præsumendum esse, nam est in pœnam iniuriæ irrogatæ Deo ab hæretico absolutorum coniux Catholicus à debito coniugali, & absolutio in fauorem catholici fit, cui ipse cedere potest. Qui ergo copulam habet cum hæretico, iam ea copula profecturur se nolle ab hæretico diuertere, cogit iuri diuertendi quod habet, vt docuit Basil. Ponce, lib. 9. cap. 22. num. 5.

Supereff dicendum, An in hoc crimine hæresis, sicuti in adulterio detur compensatio; Et omittis varijs sententijs, quas refert Sanch. lib. 10. disp. 16. num. 1. & 2. dicendum est cum eodem Sanch. num. 3. & Basilio Ponce, lib. 9. cap. 22. n. 6. nullam in hoc crimine esse compensationem, & primò esse non potest compensatio adulterij cum hæresi ante sententiam, nam hæresis ante sententiam non est causa perpetui diuortij, sicuti est adulterium, sed ad tempus dum hæreticus inquam non corrigitur. Non igitur adulterij, à quo hæreticus recedere intendit, est tueri potest exceptio hæresis nondum damnatæ. Neque etiam est compensatio cum hæresi Ecclesiæ iudicio declarata. Nam esto ob vtramque causam adulterium scilicet, & hæresim diuortium esse possit, ob aduersam tamen rationem contingit; quippe diuortium ex adulterio est ob violationem fidei coniugio debitæ; at diuortium ex hæresi fit in pœnam ob violationem fidei, Deo, cuiusque Religionis debita, ideoque vnum delictum cum alio compensari non potest, ac proinde quilibet ius habet ab altero recedendi adulter ab hæretico, & hæreticus ab adulterio. Quinimò neque vnus hæreticus cum alterius hæresi venit compensanda, nam cum pœna diuortij ob hæresim non imponatur ob iniuriam coniugio factam, sed Deo, nequit vnus hæresis pœna cum alterius hæresis pœna compensari. Non enim vnus hæresis alterius hæresis grauitatem diminuit, sicuti contingit in adulterio carnali; in quo vnus iniuria alterius iniuria compensatur, vt potè quæ eidem coniugio aduersantur.

§. IX.

Qualiter ob alias causas, maxime ob sæuitiam liceat facere diuortium?

- 1 Quoties absque graui periculo animæ vel corporis nequeunt coniuges simul habitare, est sufficiens causa diuortij.
- 2 A coniuge incitante ad peccatum potest incitatus se separare.
- 3 Licitum est uxori se separare à viro qui lenocinium exercet, &c.
- 4 Cessante inductione ad peccatum, cessat diuortium.
- 5 Quoties coniugi graue damnum corporis imminet, quod alia via auerri non potest, datur occasio diuortij.
- 6 Si coniux alterius vitæ insidius parat, vel aliud graue damnum moliat, licet diuortium. Debet tamen iudicio autoritas interuenire.
- 7 Ob malum graue factum, nisi timeatur futurum, non datur diuortium.
- 8 Retentio concubina domi, vel extrà præstat plerumque uxori causam diuertendi.
- 9 Coniux recedens ob prædictum timorem causam coram Iudice Ecclesiastico tractare debet.
- 10 Probationes iustitiae concludentes esse debent.
- 11 Si probationes integra non sint, datur locus cautioni de non offendendo. Et quæ cautio præstanda sit.
- 12 Si ad tempus sententia diuortij fuerit lata, neuter potest statum mutare, secus si in perpetuum.
- 13 Si coniux minor sit, in cuius odium sententia diuortij lata est, beneficium restitutionis gaudet.

Plures causæ diuortij præter supradictas assignantur à Doctoribus, quæ sub hac regula perscrutantur. Quoties absque graui periculo animi, vel corporis nequeunt coniuges simul habitare, datur sufficiens causa diuortij, vt ex communis sententia tradit Sanch. lib. 10. disp. 17. 18. & 19. Basil. Ponce, lib. 9. cap. 23. Coninch. disp. 35. dub. 4. Paul. Layman. lib. 5. sum. tract. 10. 3. p. cap. 7. num. 16. Nemo enim censendus est alteri se velle